

caritatem. Noueritis, nos litteras honorabilium virorum, dominorum decani et Capituli vpsalensis, recepisse. tenorem qui sequitur continentes. Venerabili in christo patri &c. *Se föreg. N:o 1843.* Quare volumus et quantum possumus iniungimus quatenus omnem sollicitudinem et diligenciam, sic in dicto terre sancte negocio adhibere curetis, vt cum dominus franciscus, thesaurarius et procurator hospitalis sancti iohannis ierosolymitani, seu fratres memorati pro colligenda dicte terre sancte pecunia venerint, omnia fiant modo debito et congruo prout superius est expressum, In Cuius euidenciam pleniorum sigillum nostrum presentibus est appensum, Datum apud Curiam nostram Hæseleby, anno domini M^o. CCC^o XII^o, in crastino apostolorum philippi et iacobi.

Sigillet föga skadadt i kanterna.

1849.

1312 d. 10 Maj.

Vienne.

Fullmakt för Ärkebiskop Nils af Upsala, att, inom 30 dagar efter hans ankomst till Brügge i Flandern, afgöra tvisten mellan Ärkebiskop Elof och Kapitlet i Throndhien jemte Kyrkoherden Ludvig i Borgund å ena sidan, samt Biskop Arno och Kapitlet i Bergen å andra sidan, angående rättigheten att tillsätta prest i Fahr.

Orig. på perg. i Kongl. Bibl.

IN nomine domini amen, Anno eiusdem, Millesimo, CCC^o, duodecimo, die decima Mensis Maij, iudictione decima, Pontificatus sanctissimi patris, domini Clementis pape V. anno septimo, Cum inter venerabiles patres et dominos, Elawm, dei gracia archiepiscopum et capitulum Nidrosiense, ac dominum ludowichum, Rectorem ecclesie sancti petri, de Borghund, Nidrosiensis dyocesis, ex parte vna et dominum Arnonem, eadem gracia episcopum, et Capitulum Bergense ex altera, super iure prouidendi, ecclesie farensi, et prouisionis facte de dicto ludowico, esset exorta materia questionis, volentes dicte partes super hiis omnibus, et dependentibus ab eisdem ad viam pacis et concordie deuenire, de communi uoluntate, ac sponte et libere sine omni prauitate de predictis controuersiis et aliis omnibus questionibus, et litibus que uertuntur, uel uerti sperantur, seu uerti possent, racione premissorum inter eos quoquo modo, Et in hoc compromisso expressis, et non expressis, idem archiepiscopus, et episcopus, et capitulorum predictorum procuratores, pro se ac dictis Capitulis Nec non et idem archiepiscopus pro dicto ludowico concorditer compromiserunt Et consenserunt de alto et Basso, in venerabilem in christo patrem, dominum Nicholaum, Miseracione diuina vpsalensem archiepiscopum electum, constitutum, assumptum ac ordinatum communiter ab eis, tamquam

in bonum virum, arbitratorem, Mediatorem, seu amicabilem compositorem, dantes et concedentes eidem, plenam et liberam potestatem, usque ad Triginta dies proximo venturos, postquam idem dominus vpsalensis, et dicte partes, apud Brugum in flandria uenerint, vt de plano sine strepitu et figura iudicij, possit in predictis omnibus, et singulis, examinare, cognoscere., Tam ex agitatatis et actis factis coram alijs arbitris et agitandis coram se, Et quod incipiat ibi, vbi alij arbitri dimiserunt, Et partes ad audiendam sententiam, ordinacionem, seu preceptum uel alia, citare, et diem ad pronuncian- dum, uel ad aliud prefixam, prorogare, partem contumacem mulctare, pronun- ciare, diffinire, laudare, arbitrari, precipere alte et Basse sicut ei videbitur expe- dire, Terminare et ordinare, semel uel pluries infra dictum terminum, coniu- ctim uel diuisim, simul, uel super altera earum, juris ordine seruato uel non seruato, ordinarie uel extraordinarie, diebus feriatis et non feriatis, sedendo uel stando, jn scriptis uel sine scriptis, Et alias quomodocumque et qualiter- cumque, prout ei videbitur expedire, omni hora et loco, vbicumque et in quibuscumque partibus, ipsum et dictas partes, infra predictum terminum, ma- nere contigerit, Nullo pretermisso obstante, vtraque parte absente uel presente, uel altera absente et altera presente, citata tamen, Et quod possit semel et pluries, et quandocumque suam sententiam, uel sententias, laudum uel pro- nunciacionem, interpretari, declarare, corrigere et reformare infra dictum Ter- minum, si ei videbitur expedire, Promiserunt itaque dicte partes, archiepi- scopus et episcopus, supradicti, pro se suisque successoribus, et procuratores predicti pro Capitulis memoratis, ac dictus archiepiscopus pro dicto ludo- wicho, pro quo promittit de Rato, sibi inuicem fide data, stare et parere dicto, laudo, pronunciacioni, precepto seu preceptis, per ipsum facto uel factis, sub pena quatringerorum florenorum de florenca puri auri et iusti, ponderis, Condictum est eciam concorditer inter partes quod attestaciones testium, in scriptis redacte, que per priores arbitros et arbitratores non fuerant partibus publicate, tradantur per dictos arbitratores dicto domino vpsalensi, seu parti actrici sub sigillis eorum clause, aperiende coram ipsis partibus, suo tempore per memoratum dominum vpsalensem. Et quod pre- dicta pena semel et pluries, et quociens contra predicta uel aliquid predicto- rum a quocumque ipsorum, actum fuerit, uel prefatum laudum, seu dictum integre obseruatum non fuerit, in omnibus et singulis Capitulis in solidum committatur, et commissa exigatur, Promiserunt insuper dicte partes omnia in hoc compromisso contenta, et expressa Et quodlibet horum, Tenere et seruare et in nullo contrauenire, uel facere, per se uel per alium, aliquo ingenio, racione uel causa, auctoritate sedis apostolice semper salua, Actum Vienne, anno, et die supradictis, Jn quorum omnium premissorum Testi-

monium, et Euidenciam firmiorem, predicti domini, Nidrosiensis Archiepiscopus, Bergensis episcopus, et procuratores Capitulum predictorum, nidrosiensis et Bergensis ecclesiarum, Halwardus arnonis, Canonicus nidrosiensis, Et Hamarensis Ecclesiarum et Audfinnus sigwardi, Canonicus Bergensis, sua sigilla, duxerunt presentibus apponenda.

På frånsidan: Compromissio in archiepiscopum vpsalensem nicolaum super quadam controuersia archiepiscopi nidrosiensis et aliorum.

Sigillen: N:o 1, 2, 4 skadade; N:o 3 saknas.

1850.

1312 d. 22 Maj.

Bollnäs.

Prosten INGEMUND i Bollnäs testamenterar ett halft markland jord i Ingelsta i Närtuna socken till Upsala kyrkobyggnad, med vilkor att han får begrafvas i Jungfru Marias chor i nämnda domkyrka, samt gifver derjemte åtskillig lös och fast egendom till kyrkor och slättingar m. m.

Orig. på perg. i Kongl. Bibl.

JN Nomine Domini Amen, Anno incarnationis eiusdem, Millesimo, CCC^o, duodecimo, vndecimo kalendas junij, Ego JNGIMUNDUS prepositus in boldanæs licet corporis debilitate nimium pregrauatus, mentis tamen per dei gratiam compos et adhuc sano vigens intellectu, Testamentum meum facio, condo, et ordino in hunc modum, Jn primis matrem meam et sororem instituo heredes legitimos in omnibus bonis meis, jta quod si altera premoriatur ante aditionem hereditatis, alteram superstitem earum instituo heredem, Jn primis ad fabricam ecclesie vpsalensis, do, lego, dimidiam marcham terre in jngulstum parochie Nyerdhatunum, si canonici vpsalenses corpus meum ad vpsalensem ecclesiam voluerint transferre et in choro beate virginis sepeliri, Jtem ecclesie Nyerdhatunum lego vnum solidum terre in eadem villa jngulstum, Domino byrgero consobrino meo, sedecim marchas denariorum, pro quibus inpignoro sibi VIII solidos terre in valudali, jta, quod nisi heredes mej soluerint sibi dictas XVI marchas denariorum infra annum, extunc idem dominus byrgerus habeat illos VIII solidos terre, perpetuo possidendos, jtem lego ketillo in valudalum consobrino meo IIII marchas denariorum, vlphoni de vtthambrum capucium brunaticum cum mardalinis et vnam equam, quam eligere voluerit de curia mea Terwi, jtem Nicolao eskilli vel sue vxori lego IIII talenta annone et .I. talentum siliginis, jtem volo, quod heredes mei in die sepulture mee in ecclesia vpsalensi dent cuilibet choralis sacerdoti vnam oram pro missis dicendis in remedium anime mee, similiter in septimo, et in triscesimo, et in anni-